Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 1175
Quelle:
Copyright:

cipit: *Heret sensibus vestris fratres id quod descripsimus beatos confessores* &c. Finit: *Vnde uos omnipotens deus emundatos liberet qui uiuit* &c. Non inveni inter Sermones *Maximi.*

Fol. 63. *Alius Sermo.* Incipit: *Cum preclara beati Mathie apostoli festiuitas per annui cursus reuolutionem se representat* &c. Finit: *qui mirabilia in sanctis suis operatur ihesus christus dominus noster qui cum patre* &c. Et hujus Sermonis Autorem me ignorare fateor.

Fol. 64. p. 2. *In Annunciatione S. Marie Sermo Ambrosii.* Incipit: *Descendens angelus de celo missus a patre deo* &c. Inter *Augustini* supposititios T. V. *append. col.* 322. sed hic capite truncatus, quod ibi incipit: *Adest nobis dilectissimi optatus dies* &c.

Fol. 65. p. 2. Abhinc jam nullus Sermonibus titulus praefixus est. Itaque supplendus. *Sermo alter de Annuntiatione.* Incipit: *Castissimum Marie uirginis uterum. sponse clausum uentris cubiculum* &c. Inter spurios *Augustini* T. V. *app. col.* 324.

Fol. 67. p. 2. *Dominica in Septuagesima.* Ita inscribitur in *Alcuini Homiliario cit.* p. 99. et *Johanni Chrysostomo* tribuitur titulo: *Quomodo primus homo toti sit prælatus creaturæ.* Incipit: *Dignitas humane originis facile agnoscitur* &c.

Fol. 69. *Dominica in Sexagesima.* Ita rursus in *Homiliario cit.* p. 102. *Sermo beati Johannis Chrysostomi de lapsu primi hominis.* Incipit: *Nemo* (est) *qui nesciat a principio hominem sic a deo plasmatum* &c.

Fol. 70. *Dominica in Quinquagesima.* Pariter in *cit. Homiliario* p. 109. *Sermo beati Johannis Chrysostomi de fide Abraham et de immolatione Isaac.* Incipit: *Fides est religionis sanctissime fundamentum* &c.

Fol. 71. p. 2. *Sermo de Quadragesima*, qui est *Leonis* XXXIX. T. I. p. 101. Incipit: *Licet nobis dilectissimi appropinquante* &c.

Fol. 72. p. 2. *Sermo* alius *de Quadragesima*, qui est *Leonis* XL. p. 103. Incipit: *Semper quidem nos dilectissimi sapienter et iuste* &c. Atque in hoc abrumpitur Collectio ista, cujus nullum fortasse Sermonem destituissemus ἀνώνυμον, si perquisitioni ultra, quam operae pretium fuisset, insistere libuisset. Illud occasione Recensus hujus non semel optare subiit, ut, cum aliquando *Breviario Rom.* lima adhibebitur, habeatur ratio tot *Homiliarum*, quae ibi Autoribus tribuuntur, a quibus illas sanioris Critices leges non jam heri abjudicavere.

Octo ultima *Codicis* Folia *Sermones* quidam Sec. XIV. scripti occupant, puta in Psal. *Domine ne in furore tuo arguas me* &c. De Apostolis *Philippo* et *Jacobo.* In *Rogationibus.* De *Spiritu* S. et VII. donis. De impedimentis et effectibus *Praedicationis.* In *ramis Palmarum.* In *Paschate.* In *Caena Domini*, quorum Titulos indicasse sufficiat. Ultimus inscribitur: